succinctus trabea laevaque ancile gerebat
Picus, equom domitor; quem capta cupidine coniunx,
aurea percussum virga, versumque venenis
fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.
tali intus templo divom patriaque Latinus
sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit,
atque haec ingressis placido prior edidit ore:
'Dicite Dardanidae — neque enim nescimus et urbem
et genus, auditique advertitis aequore cursum —
quid petitis, quae causa rates aut cuius egentis
litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
sive errore viae seu tempestatibus acti,
qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
ne fugite hospitium neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
sponte sua veterisque dei se more tenentem.
atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetravit ad urbes
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
hinc illum, Corythi Tyrrhena ab sede profectum,
aurea nunc solio stellantis regia caeli
accipit et numerum divorum altaribus auget.'
Dixerat, et dicta Ilioneus sic voce secutus:
'Rex genus egregium Fauni nec fluctibus actos
atra subegit hiems vestris succedere terris
nec sidus regione viae litusve fefellit:
consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
adferimur, pulsi regnis, quae maxima quondam
extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
ab Iove principium generis, Iove Dardana pubes
gaudet avo, rex ipse, Iovis de gente suprema,
Troïus Aeneas, tua nos ad limina misit.
quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
tempestas ierit campos, quibus actus uterque